
1401

DECISIO
SAC. ROTÆ ROMANÆ
CORAM
R. P. D.
AZEDO
IN CAUSA
Cracovien. Exemptionis Quoad Curam Animarum.
Lunæ 23. Junii 1777.



ROMÆ MDCCLXXVII.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.



1 POstquam Episcopus Cracoviensis in controversiam posuit generalem exemptionem Ordini Canonicorum Regularium Sancti Sepulcri concessam, pro qua tota est *mea contemporanea Decisio*, vehementiùs institit super jure visitandi omnes Ecclesias Parochiales eidem Ordini adnexas, à quo ne Regulares quidem exempti fieri possunt immunes. E' contra Præpositus Generalis Privilegiorum suorum firmitate confisus non solum ab hac peculiari Episcopi jurisdictione Parochiam Monasterii Miechoviensis, in quo ipse fixam habet Sedem, eximendam esse contendit, sed cæteras etiam Ecclesias Parochiales Ordini suo unitas velle è dominio Episcoporum nonnihil subducere visus est. Plus equidem justo utrinque petebatur: Hinc cum Sacrum Tribunal hac etiam super re boni Juris examen, quo tutius manutentionis controversiam definiret, prudens assumere statuisset, mihi contigit hoc manè interrogare Patres = *An*, *&* *de cujus bono jure constet etiam ad effectum manutentionis in casu &c.* =, prodiitque responsum = *Constare de bono jure Præpositi Generalis quoad Parochiam Miechoviæ tantum etiam ad effectum manutentionis*.

2 Et profectò ignotum non est, illos Regulares, qui in propriis Ecclesiis Animarum Curam exercent, immediatè subesse quoad dictam Animarum Curam jurisdictioni, & Visitationi Episcopi, licet privilegiis, exemptionibus, plerisque aliis titulis muniti reperiantur. Est enim satis abundè perspicua Sacrosancti Concilii Tridentini dispositio *sess. 25. cap. 11. de Regular.* Verum hac in specie regula tam generali uti non licet; Cum enim Cracoviensis Episcopus hanc jurisdictionem ampliare velit in Miechoviensem quoque Præposituram, hinc istud ipsum est, quod ei nullo modo concedi potest. Est siquidem Ecclesia Miechoviensis unita Monasterio, ubi assiduè Præpo-

situs Generalis Ordinis Sancti Sepulcri commoratur, & Parochi munus exercet, hancque ob rationem eadem Ecclesia excipienda est ab Episcopali Jurisdictione etiam in iis rebus, quæ ad Animarum Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, quemadmodum similia loca excipienda esse decrevit Sacrum Concilium Tridentinum eadem *sess. 25. cap. 11. de Regul.*, & consentaneè statuit *San. Mem. Benedictus XIV.* in Constitutione, cui initium = *Firmandis* =

3 Hic autem regererendum non erat, Præpositum Miechoviæ non esse Generalem, ac totius Ordinis Caput. Visum est enim in contemporanea Decisione, ipsum habere Domos, Præposituras, & Ecclesias in Polonia, Russia, aliisque in Regnis, quæ appellantur Membra dependentia ab Ecclesia, & Monasterio Miechoviensi veluti à suo Capite. Ipsæ quoque Ordinis Constitutiones a Summis Pontificibus approbatæ Superiorem Generalem renunciant Miechoviensem Præpositum, & quod maximè ponderandum est, eidem amplissimam attribuunt jurisdictionem visitandi, privandi, eligendi, approbandi, & Litteras impertiendi dimissoriales, uno verbo agendi ea, quæ nemo præter Superiorem Generalem facere posset. Denique nonne ipsimet Cracovienses Episcopi in Actibus institutionum, quas Religiosis à Præposito Miechoviensi præsentatis dederunt, eumdem semper Generalem Præpositum recognoverunt, ac nominarunt? Nonne iidem ad Sacram Congregationem Concilii retulerunt, Canonicos Regulares Sancti Sepulchri *habere Capitalem Conventum in Miechovia cum Præposito totius Ordinis Generali*? Nonne Generalitia hæc qualitas obfirmata extitit in Concordatis anno 1737. Sanctam Sedem inter, & Polonam Rempublicam initis, ac ab ipso tunc temporis Episcopo Cracoviensi subscriptis? Vix ergo, ac ne vix quidem fas est in dubium revocare, quin Præpositus Miechoviensis revera sit Generalis totius Ordinis Sancti Sepulcri, istoque titulo etiam quoad Curam Animarum ab Episcopali jurisdictione immunis fieri debeat.

4 Minus autem vere objiciebatur, quod ii Regulares Præpositum Miechoviensem non tanquam eorum Superiorem observent. Constat enim, non alios, quam ipsos Religiosos à singulis Provinciis vocatos sibi eligere Superiorem Generalem, cui statim Præpositura Miechoviensis confertur: Fingi ne potest, quod ipsi huic Electo sese non subjiciant, neque obedientiam præstent? At quot vidimus jurisdictionis actus, quos ipse Miechoviensis Præpositus in Conventuales Domos, Loca, & Ecclesias sibi subjectas exercuit? Nonne ii omnes probant, eumrevera in Superiorem Generalem agnitum, habitumque

fuisse

fuisse? Ita sane. Verum ut quisque sibi de hac re persuadeat, non est necesse, quod plura addamus. Singillatim omnia exposuit *contemporanea Decisio*, proindeque illinc assumere fas erit, quæ ad hunc locum pertinebunt.

5 At inquiunt, Ordo Sancti Sepulcri suppressus fuit ab Innocentio VIII., pleraque illius Monasteria non amplius existunt, alia vero per se stant, nec ab ullo Superiore Generali reguntur, proindeque Ordo iste non est ejusmodi, ut Superiorem Generalem habere possit. Sed male, sed perperam. Licet enim Innocentius VIII. Ordinem Sancti Sepulcri extinxisset, Successores Pontifices tamen omnem impenderunt operam, ut idem Religiosus Ordo in Polonia, aliisque proximis Regnis sospes adhuc, & incolumis custodiretur; quo factum est, ut Domus, Conventus, & Ecclesiæ in præfatis locis existentes sese in unam quasi Rempublicam constituerent, illarumque Regulares sub unis eisdemque legibus viventes Præpositum Miechoviensem in eorum Caput, ac Superiorem Generalem agnoscerent. Nihil ergo refert, quod nunc idem Ordo ad longe pauciorem Religiosorum numerum redactus sit, Præpositoque Generali aliqua non subjiciantur Monasteria. Non enim ex majori, vel minori Regularium, aut Monasteriorum numero dicitur Religiosus Ordo; Sed pro tali fermè semper habetur, si adsit Prior Generalis, qui in aliquibus Conventibus, Locis, & Ecclesiis absolutam exerceat jurisdictionem; Itaque semel ac in Polonia, Russia, Hungaria, plerisque aliis in locis Canonici Regulares Sancti Sepulcri unam conficiunt Congregationem, istiusque Congregationis Caput est Præpositus Miechoviensis, prono velut alveo descendit, illum perfrui debere singulis privilegiis, quibus gaudent Generales Regularium Ordinum Superiores.

6 Inaniterque reponebatur, quod concessio Monasterii Miechoviensis in Commendam Generalatus prærogativam ab illius Præposito excludat oportet: Monasteria enim, quæ sunt Capita Ordinum, non solent in Commendam concedi ad *statuta per Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 21. de Regular.* Profecto vis aliqua huic objectioni tribueretur, quatenus Commendatario plenum, summumque jus in Præpositum Miechoviensem, cæterosque ejusdem Monasterii Regulares concessum fuisset, tunc enim de Monasterio Miechoviensi non sine ratione suspicari fas esset, quod Generalitia qualitate haud potiretur. Sed cum perspicuè constet, idem Monasterium in Commendam datum nihil sui juris deperiisse, in eoque

ju-

jugiter extitisse Superiorem Generalem, qui universæ S. Sepulcri Congregationi unice præfuit, atque imperavit, hinc ex tali in Commendam concessione nihil aliud inferre licet, quam quod ea redditus quidem Miechoviensis Monasterii imminuerit, nullum autem præjudicium attulerit jurisdictioni, qua Præpositus illic degens in Ordine universo pollet; sicuti rectè ponderat *Card. de Luca in Miscell. Eccles. Disc. 54. num. 25., & seqq.*

7 Manifesto denique adversatur facto proposita exceptio, quod Episcopus Cracoviensis majorem jurisdictionem in Monasterio Miechoviæ habeat; Nullus enim profertur actus, qui hoc vel leviter ostendat. Scimus autem ex Testibus, *Episcopum, aut suos Commissarios nunquam exercuisse jurisdictionem suam in Ecclesiam Parochialem, & Conventualem Miechoviensem, & Personas exercentes Curam Animarum* = Nec ex quo Visitator olim Ordinarius se contulit ad præfatum Monasterium, argui potest, Ecclesiam illius loci aliquando visitavisse; Nam ipsimet Testes, quos Episcopus hac super re examini subjecit, palam faciunt, quod ille Visitator *tantum pernoctavit, non tamen Ecclesiam in ea forma ut alias visitavit*. At illam visitare in animo habebat. Sane nihil hoc levius, atque ineptius objici poterat. Demus tamen, quod visitare is Ecclesiam cogitaverit. Si autem ab eo faciendo se libenter abstinuit, ne Apostolicis Privilegiis, ut asseruit, quidquam detrimenti adferret, sponte sua sequitur, ipsummet Visitatorem intellexisse, quod animus visitandi Ecclesiam Miechoviensem deponendus erat, agendumque idcirco cum Præposito tanquam cum Persona ab Episcopali jurisdictione exempta.

8 Stat igitur, Ecclesiam Parochialem Miechoviæ adnexam Monasterio Generalitio Ordinis Sancti Sepulcri dignam esse, quæ ne in rebus quidem ad Curam Animarum pertinentibus Episcopali jurisdictioni subjiciatur. Quantum vero attinet ad alias Ecclesias hujus ejusdem Ordinis adnexam habentes Animarum Curam, Sacramentorumque administrationem, hæ procul dubio quoad Curam tantum Animarum subesse debent visitationi, & jurisdictioni Episcopi, in cujus existunt Diæcesi. Nec exemptio, quam habent illarum Parochi Regulares Sancti Sepulcri, satis est, quæ Episcopis impedire valeat exercitium suæ jurisdictionis in iis rebus, quæ ad dictam Curam Animarum pertinent. Sicuti enim iidem non quà Parochi, sed quà tantum Regulares Sancti Sepulcri ab Episcopali jurisdictione immunes facti fuerunt, ita non equidem repugnat, ut respectu unius qualitatis dominium Ordina-

rio-

riorum experiri debeant, respectu vero alterius ab illo sint penitus immunes, ut de his ipsis Religiosis jam pridem dixerat Rota *in Præmislien. Præposituræ super Conventualitate 22. Januarii 1760. §. ultimo coram Reverendissimo P. D. meo Ratta Decano*.

Et ita DD. jus suum unicuique tribuentes responderunt; Utraque &c.